



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 151. An & qualiter fieri possit alienationis rerum ecclesiæ per constitutionem census.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

illum transferatur jus aliquod utile, adeoque, si fiat ad longum tempus sit species aliqua alienationis prohibita per Extrav. ambitiosa.

Quest. 150. An & qualiter res ecclesiastica alienetur per constitutionem servitutum aliarum in ea?

R Esp. Primò in genere: Nomine alienationis comprehenditur constitutio servitutis, sive realis sive personalis, quam in re ecclesiastica alienari prohibita, constituitur (intellige, sine juris solemnitate) est prohibitum *L. ult. C. de reb. alien. vel non alien.* Pirh. *h. t. num. 10.* citans Molin. *de Just. tr. d. 464. in fine.* item C. de Luca. *de servit. d. d. 17. num. 5.* ubi: contra ecclesiam constitui vel acquiri non potest servitus, utpote sapiens speciem alienationis, absque solemnitate beneplaciti Apostoli, & justa causa necessitatis vel utilitatis juxta Extrav. ambitiosa, quin peculiari prohibitione contenta in *Clem. 1. de excomm. prohib. est laicis acquirere servitutem in ecclesiis C. de Luca. l. c. d. 16. n. 2.* loquens etiam specialiter de prospectu acquirendo in ecclesiam. citans Barbos. *juris eccles. l. 1. c. 11. num. 28.* Gavant. *man. episc. v. ecclesia. num. 27.* testantes sic decium per S. Congregat.

2. Resp. Secundò in specie, non posse Prælatum seu Rectorem ecclesie, vel etiam alium beneficium alteri concedere utrum fructum fundi ecclesiastici, *c. 2. de locat.* Quamvis ipsos fructus, ut dictum supra eorumque commoditatem concedere valeat quo ad vitam suam, non ultra sine solemnitate, etsi jus ipsum fruendi & utendi alio, quam usufructuarii nomine transferre nequeat. Pirh. *loc. cit.* Quemadmodum etiam parochus aliusvè beneficiarius jus decimarum in alium transferre potest; fructus tamen decimarum vendere aut locare potest etiam laico, ita ut is eos non suo, sed parochi nomine percipiat. Pirh. *loc. cit.* cum Laym. *disp. Can. de reb. eccl. alien. thes. 8.*

Quest. 151. An & qualiter fieri possit alienatio rerum Ecclesie per constitutionem census?

R Esp. Prohiberi quoque per Extrav. ambitiosa contractam censualem seu constitutionem census, tam perpetui, quam vitalitii (intellige, sine solemnitate juris factam) super re ecclesie. Redoan. *de reb. eccl. non alien. c. 27.* Molin. *de Just. tr. d. 494.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 1. qn. 2.* Covar. *l. 2. var. c. 2. §. 2.* Delben. *c. 17. du. 1. num. 29.* ea autem, quæ Idem *du. 3. num. 2.* ponit in parenthesis: *quamvis impositio census fiat à Capitulo pro sustinendis expensis litis:* etsi videantur continere confirmationem & extensionem responsionis; junctis tamen verbis summarii *num. 3.* tonant in exceptionem. Et sic in specie juxta expressum & speciale decretum & declarationem S. Cong. Concilii *sub die. 21. Maji. 1624.* sub pœnis in eodem decreto & Extrav. ambitiosa expressis prohibentur regulares inconsulto Pontifice fundare censum, aut pecunias accipere ad mutuum. Novat. *in sum. Bullar. tr. de alien. num. 3.* Peyrin. *in privileg. Minorum. Tom. 2. Consult. Urban. VII.* Delben. *c. 17. du. 8. num. 1.* Nisi tamen exulet urgens necessitas, & interim adiri nequeat Papa, aut S. Cong. quo casu etiam fieri posse oppi-

gnorationem Lampadum & Candelabrorum argenteorum, cum Dian. *p. 5. tr. 13. resol. 6.* & Peyrin. dicit Delben. *l. c. num. 3.* Vel etiam nisi excuset consuetudo legitime præscripta adversus cit. decretum S. Cong. ut Lezan. *in Sum. 99. regular. c. 13. num. 3.* apud Delb. *num. 4.* Porro hujus prohibitionis ratio est, quod impositio census cum sit quedam venditio libertatis bonorum, contineat rationem alienationis seu translationis domini sive directi, sive utilis, *L. fin. C. de reb. eccl. non alien.* Naldus. *v. census. num. 3.* C. de Luca. *de censib. d. 7. num. 2.* ubi: hodie receptissimum præsertim in Rota & Curia impositionem census importare veram alienationem, cadentem sub dispositione Extrav. ambitiosa. Ad cujus effectum copulative requiruntur solemnitas, hodie consistens in beneplacito Apostolico, & justa causa necessitatis & evidentis utilitatis, ita ut unum sine altero non sufficiat. Multo magis locum habent in constitutione census vitalitii, utpote quæ expresse tendit ad alienationem, quæ contingit secuta morte. Unde etsi constitutio census vitalitii de præsentia sit emptio juris percipiendi fructus ex re fructifera, est tamen alienatio pro tempore futuro; adeoque dicenda non tam emptio quam alienatio fieri prohibita per Extrav. ambitiosa. Delben. *c. 17. du. 2. S. 3. num. 31.* His tamen non obstantibus, potest ecclesia, & in specie monasterium seu regulares emere fundum vel domum, cui jam impositus census; cum in hoc casu ecclesia non tam alienet, quam acquirat bonum illud stabile tali onere affectum. Delben. *loc. cit. num. 8.* C. de Luca *loc. cit. num. 6.* Quin etiam juxta Eundem *ibidem. num. 3.* potest constitui seu creari census V. g. super domo ædificanda vel ædificatione acquirenda, initium ductus, seu ei inexistens, si & postquam ædificata fuerit. Hac ratione, dum ecclesia, novum ædificium volens constituere pro illius ædificatione proque soli acquisitione pecuniam acciperet ad censum hoc pacto, ut census ille creatus conferretur, si & postquam ædificium redactum erit ad esse rei fructifera & capacis istiusmodi census, stante interim hoc contractu quasi in pendulo, & in terminis conventionis conditionalis, tunc prius sortitur effectum, ubi illa conditio purificata, nimirum ubi ædificium constructum. In eo siquidem casu non agitur contra Extrav. ambitiosa, seu nihil de bonis ecclesie alienatur, sed onus imponitur rei acquirendæ, ita ut hæc eo ipso instante, quo existit, seu acquiritor, dicatur habere annexum illud onus & tanquam sibi intrinsicum, seu prius impressum. Unde licet rei, quæ non est, imponi nequeat actu onus, potest tamen sic pactari, ut ea, quam primum existat, habeat hoc onus citra omne aliud factum paciscentium. Neque videtur contrarium Bullæ Pianæ super forma creandi census aliisque juribus requiruntibus fundum capacem & fructiferum pro tempore ipsius creationis census. Hoc enim in eo sensu accipiendum: ut census actu inexistat fundo existenti, is debet esse actu fructifer, per quod non negatur posse constitui censum anticipativè in re futura, & quasi conditionatè, si & ubi ea existat, uti etiam, ubi plura requiruntur ad perficiendum contractum, non repugnat ea poni diverso tempore prius numeratur pecunia tanquam præparatio seu præventivum implementum requisiti pro contractu perficiendo pro tunc, & postquam ædificium construendum ad statum capacitatis census pervenerit.

Quest.